



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Antiochenvm II. Svb Liberio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO  
CHRISTI  
363.

quam inde transmutare artificijs contentionibusque verborum: quod faciunt Ariani, qui ex non entibus Filium Dei extitisse, eundemque non fuisse antequam fieret, eum denique creaturam, factum, & mutabilem esse dicunt. Ideo enim (quemadmodum prædiximus) Synodus Nicæna anathematizavit istiusmodi hæresim, & veritatis fidem confessionibus approbavit, neque leui aut simplici ratione Filium Patri similem esse asseueravit, eumque (ne ex leui re Deo similis, sed verus Deus ex Deo haberetur) consubstantialem esse scripto tradidit: quod proprium est genuini & veri Filii, veri & naturalis Patris. Sed nec alienavit Spiritum sanctum a Patre & Filio, sed eum vna glorificavit cum Patre & Filio, & in vna sanctæ Trinitatis fide, eo quod vna sit in sancta Trinitate deitas.

patrum fide.

CONCILIVM ANTIOCHENVM II.  
SVB LIBERIO.

## NOTA.

<sup>3</sup> *Concilium Antiochenum.*] Semiariani imperatoris animum præoccupaturi, e Perside redeunti obuiam processerunt, fideique libello oblato postularunt, vt Acaciani Filium Dei Patris dissimilem esse docentes, sedibus suis eiicerentur, ipsique in eorum loca sufficerentur. *Imperator*, inquit Socrates, *accepto eorum libello, ipsos absque responso dimisit, hæc verba dumtaxat locutus: Ego contentionem odio prosequor: eos, qui concordia dediti sunt, completor amore, venerorque.* Quod cum Acaciani intellexissent, ne, quod catholicis episcopis ipsi fecerant, ecclesiis suis eiicerentur, pietate confestim simulata institerunt, vt per Meletium orthodoxorum Antiochiæ episcoporum Concilium cogeretur. Quod cum antistes catholicus præstitisset, viginti septem episcopi Ariani, quorum nomina in subscriptione synodalis epistolæ habentur, ad Synodum conuenerunt, in qua Nicænam fidem absque alteratione in medium prolatam, recitatam ac recognitam, communi suffragio omnes ad vnum comprobauerunt; quique per multa annorum curricula eandem impugnarant, quasi e longo infaniæ lethargo expergefæcti, palinodiam recantantes, absque tergiversatione aliqua cognouerunt, suoque eam chirographo munitam ad imperatorem Iouianum transmiserunt. Tanti interest, principes palam profiteri, se vere catholicos & orthodoxæ fidei acerrimos defensores esse. sua enim fidei confessione publica &

Hæretici  
imperatoris  
animum  
præoccupare  
conatur.Imperatoris  
responsum  
laude dignum.Ariani per  
professionem  
fidei  
imperatoris  
Nicænam  
fidem  
confitentur.

sincera, hæreticos timore correptos ad palinodiam recantandam inducunt, vel saltem hoc efficiunt, vt rubore suffusi sileant, lateant, aliove procul abscedant. Vide Baronium anno 363. numero 140. ANNO  
CHRIST.  
363.

## SYNODALIS EPISTOLA,

Quam cum Nicæna confessione illi attexta, ad Iouianum imperatorem miserunt, hæc est.

*Sanctissimo, Deoque carissimo domino nostro Iouiano Victori,  
Augusto, Concilium episcoporum Antiochiæ in vnum  
ex variis prouinciis conuocatum, salutem.*

Extrat apud  
Soet. lib. 3.  
c. 21. So-  
zom. lib. 6.  
c. 4. Baron.  
ann. 363. nu-  
141.

**T**VAM pietatem, imperator sanctissime, cum primis laborare, vt ecclesiæ pax & concordia stabilia-  
tur, nobis exploratum est. Neque sumus nescii, te sa-  
pienter considerasse formam veræ & orthodoxæ fidei  
ad hanc concordiam confirmandam valere maxime. Id-  
circo, ne in eorum numero, qui doctrinam veritatis ad-  
ulterare student, habeamur: visum est, tuæ prudentiæ  
significare, quod fidem sancti Concilii iam olim Nicææ  
congregati & approbemus & teneamus. Quandoqui-  
dem vocabulum *consubstantialis*, quod quibusdam vide-  
tur parum recte in ea positum, est probe a patribus  
commodaque interpretatione explanatum. Quæ qui-  
dem interpretatio ostendit, Filium ex Patris substan-  
tia genitum, Patri secundum substantiam similem, &  
neque affectionem vllam in eius inexplanabili genera-  
tione debere intelligi, neque vocabulum substantiæ  
apud sanctos patres ad consuetudinem Græci sermonis  
capi, sed ab illis poni ad euertendum illud pestiferum  
dogma, Christum scilicet ex nihilo ortum esse, ab A-  
rio impie inductum: quod etiam isti Anomiani, id est,  
qui Filium Patri dissimilem statuunt, nuper exorti,  
multo audacius impudentiusque ad ecclesiæ concor-  
diam labefactandam asseuerant. Quamobrem exem-  
plar fidei ab episcopis Nicææ coactis expositæ (quam  
fane vehementer amplectimur) his literis, quibus ani-  
morum nostrorum sententiam tibi declarauimus, sub-  
iungere placuit: est enim plenum eruditionis & doctri-  
næ, seque habet ad hunc modum: Credimus in vnum

ANNO CHRISTI 363. Deum Patrem omnipotentem. & quæ sequuntur Nicæni  
Symboli confessionis.

Ego Meletius episcopus Antiochiæ, ea quæ supra scri-  
pta sunt, fateor me approbare. Ego Eusebius Samofata  
episcopus eodem modo. Euagrius item Sículus, Vranus  
Apameæ, Zoilus Larissæ, Acacius Casareæ, Antipater  
Rosli, Abramius Vrimum, Aristonicus Seleucopolis,  
\*Maris. Barlamenus Pergami, Vranus Melitinæ, \*Magnus Cal-  
chedonis, Eutychijs Eleutheropolis, Isaacos Armeniæ  
maioris, Titus Bostrorum, Petrus Sypporum, Pelagijs  
Laodiceæ, Arabianus Antri, Pifó Adanorum per Lamy-  
drionem presbyterum, Sabinianus Zeumatis, Athana-  
sius Ancyrae per Orphitum & Aetium presbyteros, Ire-  
nio Gaza, Pifó Augustæ, Patricius Palti per Lamydri-  
onem presbyterum, Anatolius Berœensium, Theotimus  
Arabum, Lucianus denique Areorum episcopus. Hunc  
libellum in Sabini libro, qui, Collectio rerum in Concilio  
actarum, inscribitur, inuenimus.

Episcopi  
qui inter-  
fuere Con-  
cil. Antio-  
cheno.

L A M P S A C E N V M  
C O N C I L I A B V L V M

SEMIARIANORVM

ADVERSVS ARIANOS CELEBRATVM.

NOTA.

ANNO CHRISTI 364. \* *Lampfacenum.* ] Lampfacus est vrbs in angusto Helleponti  
finu posita. Socrates lib. 4. cap. 4. Hoc loco indictum est Con-  
cilium anno Christi 364. quando Valentinianus per legatum Hypa-  
tianum Heracleæ episcopum ad Synodum indicendam sollicita-  
tus, præclarum hoc responsum dedisset : *sibi qui vnus e laicorum  
numero erat, non licere se eiusmodi negotiis interponere. Et ideo sacer-  
dotes & episcopi, inquit, quibus hac cura sunt, seorsum per se, vbi-  
cumque ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant. Quo responso ad le-  
gationem Hypatiani dato, Lampfaci Concilium cogunt.* Hæc Sozo-  
menus libro 6. cap. 7. Quod ibidem ait, episcopos catholicos con-  
substantialitatis assertores imperatorem de hac Synodo indicen-  
da sollicitasse, adeoque Concilium catholicum fuisse, non tan-  
tum ex actis huius Concilii, sed etiam ex 72. & 82. epistolis sancti  
Basilii constat, vbi Lampfacenam confessionem inter eas enume-

Locus Con-  
cilii.

Concilium  
hoc non est  
catholicum,  
sed repro-  
batum.